

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo XXXVIII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

quando iudicatus est, ut & iam hoc impleatur quod & propheta praedixerat, sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente sine uoce, sic non aperuit os suum; si ergo pater nollit, non pateretur, si non pateretur, sanguis ille non funderetur, si sanguis ille non funderetur, mundus non redimeretur; Agamus itaq. gratias & potestati diuinitatis, & miserationi infirmitatis eius, & de occulta potentia quam iudaei non nouerant, unde illis modo dictum est, neq. me nostis neq. patrem meum, & de carne suscepta quam iudaei nouerant, & cuius patriam sciebant, unde illis alio loco dixit, & me nostis & unde sim nostis, utrumq. nouerimus in xpo, & unde aequalis est patri, & unde illo maior est pater, illud uerbum est, illud caro, illud ds est, illud homo, id unus est xps ds & homo; **EXPLICIT SERMO XXXVII. INCIPIT XXXVIII**
AB EO QUOD DICTUM EST. DIXIT ERGO EIS IHS. ECO QUADO
ET QUAE RITIS ME. USQ. AD IO QUOD DIXIT. DIXIT ECO
PRINCIPIUM QUI ET LOQUOR UOBIS

Lectio sci euangelii quae praecessit hodiernam ita conclusa erat, quia loquutus est dicens in gazofiliatio dñs quae uoluit, & quae audistis, & nemo adprehendit eum quia nondum uenerat hora eius; hinc disputatum est domino die quod ipse donante dignatus est in tantum caritati uestrae quare dictum sit, nondum uenerat hora eius, ne positum xpm sub aliqua necessitate fatali ulla impietate iudicari in probe suspicari, nondum enim uenerat hora qua ex ordine suo secundum ea quae praedicta sunt de illo, non mori cogere inuitus, sed occideretur paratus; modo autem de ipsa passione sua, quae posita erat in eius necessitate, sed potestate loquutus est iudaeis dicens; ego uideo, xpo enim dño mors profectio fuit illò unde uenerat, & unde non discesserat; ego inquit uideo, & quaeritis me, non desiderio sed odio, nam illum postea quam abscessit ab oculis hominum, inquisierunt & qui oderunt & qui amabant, illi persequendo, illi habere cupiendo; in psalmis aut ipse dñs per prophetam, perit fuga a me, & non est qui requirat animam meam, & iterum alio loco in psalmo; confundantur & reuertantur, requirentes animam meam, culpauit qui non requirerent, damnauit qui requirerent, malum est enim non quaerere animam xpi, sed quomodo eam quaesierunt discipuli, & malum est quaerere animam xpi, sed quomodo eam iudaei quaesierunt, illi enim ut haberent illi ut perderent; Deniq. isti quia sic quaerebant morte mala, corde peruerso, quid sequutus adiunxit, quaeritis me, & ne putatis qui abene me quaeritis, in peccato uestro moriemini, hoc est xpm male quaerere, in peccato suo mori, hoc est illum odisse, per quem possit solum saluus esse, cum enim homines quorum spes in dño est, non debeant mala reddere pro malis, reddebant

isti mala pro bonis; praenuntiavit ergo illis dñs. dixitq. sententiam praesci-
 us quod in suo peccato morerentur; Deinde adiungit, Quo ego uado uos non
 potestis uenire; hoc & discipulis alio loco dixit. Ne tam enis dixit. In peccato
 uestro moriemini; quid autem dixit quod & istis. quo ego uado. uos uenire
 non potestis; non abstulit spem. sed praedixit dilationem; Quando enim
 hoc discipulis dñs loquebatur. tunc non poterant uenire quo ille ibat. sed
 postea uenturi erant; isti autem numquam. quibus praescius dixit. In pec-
 cato uestro moriemini; his autem auditis uerbis. quomodo solent carnea
 cogitantes & secundum carnem iudicantes. & totum carnaliter audientes
 atq. sapientes. dixerunt; Numquid interficiam & semetipsum. quia dicit quo
 ego uado. uos non potestis uenire. Stulta uerba. & omnino insipientia plena;
 quid enim non poterant illò uenire quo ille perrexisse & interficere & se-
 metipsum. numquid ipsi non erant morturi? quid est ergo. numquid in-
 terficiam & semetipsum. quia dicit. quo ego uado uos non potestis uenire; si de
 morte hominis diceret. quis homo non moritur. Ergo quo ego uado dixit.
 non cum itur ad mortem. sed quo ibat ipse post mortem; Illi itaq. non in-
 tellegentes. ista responderunt; & dñs ad eos qui terram sapiebant. quid ait.
 & dicebat eis. Uos de deorsum estis. ideo terram sapitis. quia sicut serpen-
 tes terram manducatis; quid est terram manducatis. terrenis pasimini.
 terrenis delectamini. Terrenis inhiatis. sursum cor non habetis; uos de de-
 orsum estis. ego de supernis sum. uos de mundo hoc estis. ego non sum de
 hoc mundo; quomodo enim erat de mundo. per quem factus est mundus.
 Omnes de mundo post mundum; quia prius mundus. & sic homo de mundo.
 prius autem xp̄s. & deinde mundus. qm̄ ante mundum xp̄s. ante xp̄m
 nihil / quia in principio erat uerbum. omnia per ipsum facta sunt; sic er-
 go erat ille de supernis; de quibus supernis; de aere; absit. ibi & aues uo-
 litant; de caelo quod uidemus. & hoc absit. ibi & stellae & sol & luna circu-
 eunt; de angelis; neq. hoc intellegatis; per illum & angeli facti sunt. per quē
 omnia facta sunt; De quibus ergo supernis xp̄s; ab ipso patre. nihil illi
 dō superius; qui uerbum genuit aequale sibi. coaeternum sibi. unigenitum.
 sine tempore. per quem conderet tempora; sic ergo accipe xp̄m de super-
 nis. ut excedas cogitatione tua omne quod factum est. uniuersam omnino
 creaturam. omne corpus. omne conditum sp̄m. omnem rem quo quomo-
 do mutabilem; Totum excede. sicut excessit iohannes ut contingeret qd
 in principio erat uerbum & uerbum erat apud dñm & dñs erat uerbum; ego
 ergo inquit de supernis sum. uos de hoc mundo estis. ego non sum de hoc
 mundo; Dixi ergo uobis. quia moriemini in peccatis uestris; exposuit nobis

fratres, quid intel. legi uoluerit. uos de hoc mundo estis; ideo quippe dixi. uos de hoc mundo estis, quia peccatores erant. quia iniqui erant. quia infideles erant. quia terrena sapiebant; nam quid uobis uidetur de scis apostolis. quantum inter erat inter iudeos & apostolos. quantum inter tenebras & lucem. quantum inter fidem & infidelitatem. quantum inter pietatem & impietatem. quantum inter spem & desperationem. quantum inter caritatem & cupiditatem; multum ergo inter erat; quid ergo quia tantum inter erat apostoli de mundo non erant. Sicut ergo quomodo nati sint. & unde uenerunt. quia omnes ex adam uenerant. de hoc mundo erant; sed quid eis ait ipse dñs. ego uos de hoc mundo elegi; qui ergo de mundo erant. facti sunt non de mundo. & pertinere coeperunt ad eum per quem factus est mundus; isti autem remanserunt esse de mundo. quibus dictum est. moriemini in peccatis uestris; Nemo ergo dicat fr̄i de hoc mundo non sum; Quis quis es homo de hoc mundo es, sed uenit ad te qui fecit mundum. & liberauit te de hoc mundo; si delectat te mundus. semper uis esse immundus; si autem iam non te delectat hic mundus. iam tu es mundus; Uerum tamen si per aliquam infirmitatem adhuc te delectat mundus. habitate in te qui mundat. & eris mundus; si autem fueris mundus. non remanebis in mundo. nec audies quod audierunt iudei. moriemini in peccatis uestris; Omnes enim cum peccato nati sumus. omnes uiuendo ad id quod nati erant addidimus. magis quae de mundo facti sumus. quam tunc quando de parentibus nostris nati sumus; & ubi essemus si ille non ueniret qui non habebat peccatum. ut solueret omne peccatum. in quem iudei quia non credebant. merito audierunt. moriemini in peccatis uestris. Quia non habere peccatum nullomodo potuistis qui cum peccato nati estis. sed tamen si in me inquit credideritis. cum peccato quidem nati estis. sed in peccato uestro morituri non estis; Tota ergo infelicitas iudeorum ipsa erat. non peccatum habere. sed in peccatis mori; hoc est quod debet fugere omnis xpianus; propter hoc ad baptismum curritur. propter hoc qui aegritudine uel alunde periclitantur. sibi desiderant subueniri; propter hoc & iam sugens paruulus. a matris piis manibus ad ecclesiam fertur. ne sine baptismo exeat. & in peccato quo natus est moriatur; In felicissima conditio. misera fors istorum. qui de ore ueridico audierunt. in peccatis uestris moriemini; unde tamen hoc eis contingat exponit; Si enim non credideritis. moriemini in peccatis uestris; Credo fr̄i. in illa multitudinem quae dñm audiebat. & eos fuisse qui credituri erant; quasi in omnes autem processerat seuerissima illa sententia. in peccato uestro moriemini; ac per hoc & illis qui credituri erant spes erit ablata; illi seuebant. illi timebant. immo non timebant sed iam desperabant; reuocauit

eos in spem. Adiunxit enim, si non credideritis quia ego sum, moriemini in
 peccatis uestris; Ergo si credideritis quia ego sum in non moriemini in peccatis uestris;
 Reddita spes est desperantibus, excitatio facta est dormientibus; cordibus eui
 glauerunt inde plurimi crediderunt, sicut euangelii ipsius consequentia tes-
 tatur, erant enim illic membra xpi, quae nondum adhaeserant corpori xpi,
 & in illo populo a quo crucifixus est, a quo in ligno suspensus est, a quo pen-
 dens inrisus est, a quo lancea uulneratus est, a quo felle & aceto potatus est;
 erant membra xpi, pro quibus dixit, pater ignosce illis, quia nesciunt quid faci-
 unt; quid autem conuerso non ignoscitur, si fusus xpi sanguis ignoscitur, quis
 homicida desperat, si in spem redditus est, a quo & iam xpi occisus est. Credide-
 runt inde multi, donatus est eis sanguis xpi, ut magis eum biberent quolibera-
 rentur, quam rei de illo effuso tenerentur; quis desperat, si & in cruce latro sal-
 uatus est ante paululum homicida, post paululum accusatus, conuictus, damna-
 tus, suspensus, liberatus; noli mirari! ubi conuictus, ibi damnatus, sed ibi libera-
 tus, ubi mutatus; In hoc ergo populo cui dñs loquebatur, erant qui in peccato
 suo fuerant morturi, erant & iam qui in ipsum qui loquebatur fuerant credi-
 turi, & ab omni peccato liberandi; tamen hoc attende quod ait dñs xps, si non
 credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis uestris; quid est si non credideri-
 tis, quia ego sum; ego sum, quid, nihil addidit; & quia nihil addidit, multum
 est quod commendauit; expectabatur enim ut diceret quid esset, nec tam
 dixit quid expectabatur, ut diceret forte, nisi credideritis quia ego sum xps,
 nisi credideritis quia ego sum di filius, nisi credideritis quia ego sum uerbum
 patris, nisi credideritis quia ego sum conditor mundi, nisi credideritis quia
 ego sum hominis formator, creator & recreator, factor & refactor, nisi hoc
 credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis uestris; multum est quod
 ait ipsum ego sum, quia sic dixerat & dñs moysi, ego sum quisum, quis digne
 eloquatur, quid sit, sum, mittebat dñs per angelum suum seruum suum moysen
 ad liberandum ex aegypto populum suum, legistis quod audistis, & nostis;
 Commemoro tamen, mittebat timentem, excusantem sed oboedientem;
 cum ergo excusaretur ait dño, quem loqui in angelo intellegebat, si dixerit mihi
 populus, quis est dñs qui misit te, quid ei dicam, & dñs ad illum, ego sum quisum;
 & respicit; Dices filius israhel; qui est misit me ad uos; non ait & ibi, ego sum dñs
 aut ego sum mundi fabricator, aut ego sum omnium rerum creator, aut ego
 sum ipsius populi liberandi propagator, sed hoc tantum, ego sum quisum, &
 dices filius israhel, qui est, si addidit, qui est dñs uester, qui est dñs patrum uest-
 rorum; sed tantum hoc dixit, qui est misit me ad uos; forte multum erat
 & ad ipsum moysen, sicut multum est & ad nos, & multo magis ad nos, intelle-

gere quid dictum sit. Ego sum quisum, & qui est misit me ad uos, & si forte ca-
 peret & moyses, illi ad quos mittebatur quando caperent; Distulit ergo dñs quod
 capere homo non possit, & addidit quod capere possit, adiunxit enim, & ait, ego
 sum dñs abraham & dñs isaac, & dñs iacob, hoc potes capere, nam ego sum quisum,
 quae mens potest capere, quid ergo nos, uidebimus ne aliquid dicere ex hoc qd
 dictum est, ego sum quisum, uel potius ex hoc quod dñm dicere audistis, nisi cre-
 dideritis quia ego sum, moriemini in peccatis uestris, ita ne his uiribus meis tantal-
 lis, & pene nullis audebo disputare quid sit quod ait dñs xps, nisi credideritis quia
 ego sum, audebo ipsum dñm interrogare, audite me interrogantem potius
 quam disputantem, magis quaerentem quam praesumentem, potius discentem
 quam docentem, & certe in me, uel per me & iam uos interrogate, praesto est
 & iam ipse dñs, qui ubiq. est, audiat interrogandi affectum, & intellegendi praes-
 ta effectum; Nam ego quibus uerbis & si forte aliquid capio, perducere possum
 quod capio ad corda uestra, quis nam sufficit sonus, quae supplet eloquentiam
 quae uires intellegendi, quae facultas proferendi. Dicam ergo dño nostro
 ihu xpo, dicam & audiat me, Credo praesentem, omnino non dubito, ipse enim
 dixit, ecce ego uobiscum sum usq. in consummationem saeculi, O dñe dñs noster,
 quid est quod aisti, nisi credideritis quia ego sum, quid enim non est eorum
 quae fecisti, numquid caelum non est, numquid terra non est, numquid non
 sunt ea quae in caelo & in terra sunt, numquid homo ipse cui loqueris non est,
 numquid angelus quem mittis non est, Si omnia sunt haec quae per te facta sunt,
 quid est quod tibi proprium quiddam tenuisti ipsum esse, quod alius non dedis-
 tit, ut tu solus esses, Nam quomodo audio, ego sum quisum, quasi alia non sint, &
 quomodo audio, nisi credideritis quia ego sum, illi enim non erant qui audiebant,
 & si peccatores erant, homines erant, quid ergo facio, quid sit ipsum esse, dicat
 cordi, intus dicat, intus loquitur, homo interior audiat, mens capit, uere esse
 est enim, semper eodem modo esse, res enim aliqua quae libet omnino, quasi
 coepi disputare, & destitit, quae te, forte quod audiui uolo loqui, auditui meo
 de exultationem, & uestro cum loquor, Res enim quae libet prorsus qualicumq.
 excellentia si mutabilis est, non uere est, non enim est ibi uerum esse, ubi
 est & non esse, quid quid enim mutari potest, mutatum non est quod erat,
 si non est quod erat, mors quaedam ibi facta est, peremptum est aliquid ibi
 quod erat, & non est, si gredo mortua est in capite albescentis, senis, pulchritudo
 mortua est in corpore fessi & incurui senis, mortuae sunt uires in corpore
 languentis, mortua est statio in corpore ambulantis, mortua est ambulatio in
 corpore stantis, mortua est ambulatio & statio in corpore iacentis, mortua e-
 loquutio in lingua tacentis, quid quid mutatur & est quod non erat, uideo ibi

quandam uitam in eo quod est, & mortem in eo quod fuit; Deniq, de
 mortuo cum dicitur ubi est homo ille, respondetur, fuit; O ueritas quae
 uere es, nam in omnibus actionibus & motibus nostris & in omni prorsus agi-
 tatione creaturae duo tempora inuenio, praeteritum & futurum, praesens
 quaero, nihil stat, quod dixi iam non est, quod dicturus sum, nondum
 est, quod feci iam non est, quod factur us sum, nondum est, quod uixi iam
 non est, quod uicturus sum nondum est, praeteritum & futurum inuenio
 in omni motu rerum, in ueritate quae manet praeteritum & futurum non
 inuenio, sed solum praesens, & hoc incorruptibiliter, quod in creatura non
 est; Discute rerum mutationes, inuenies fuit & erit, cogita dñm, inuenies
 est, ubi fuit & erit esse non possit, ut ergo & tu sis, transcede tempus, sed
 qui transcendit uiribus suis, leu^{is} & illuc, illa qui patri dixit uolo ut ubi ego
 sum & ipsi sint mecum, hoc itaq, promittens, ne moriamur in peccatis nris,
 nihil aliud dñs ih̄s xp̄s mihi uidetur his uerbis dixisse, nisi credideritis quia
 ego sum, prorsus nihil aliud mihi uidetur his uerbis dixisse quam hoc, nisi
 credideritis quia dñs sum, moriemini in peccatis uestris; bene dō gratias,
 quia dixit, nisi credideritis, non dixit, nisi coeperitis, quis enim hoc capiat,
 aut uero quia ausus sum dicere, & uisi estis intellegere, aliquid de tanta in-
 effabilitate coepistis; Si ergo non capis, fides te liberat, ideo & dñs non ait,
 nisi coeperitis quia ego sum, sed quod poterant dixit, nisi credideritis quia
 ego sum, moriemini in peccatis uestris; & illi semper terrena sapientes, &
 semper secundum carnem & audientes & respondentes; Quid ei dixe-
 runt, Tu quis es? Non enim cum dixisti, nisi credideritis quia ego sum,
 addidisti quid esses; quis es ut credamus, & ille, principium; ecce quod
 est esse, principium mutari non potest, principium in se manet & inno-
 uat omnia, principium est cui dictum est, Tu autem idem ipse es, & an-
 ni tui non deficient; principium ait, qui & loquor uobis; principium me
 credite, ne moriamini in peccatis uestris; tamquam enim in eo quod dixe-
 runt, tu quis es, nihil aliud dixerint quam quid te esse credimus, respon-
 dit, principium, id est principium me credite, In greco namq, eloquio
 discernitur, quod non potest in latino, apud grecos enim feminini gene-
 ris est principium, sicut apud nos lex generis feminini est, quae apud
 illos est masculini, sicut sapientia & apud nos & apud illos generis feminini
 est, consuetudo loquutionis ideo per diuersas linguas uariat genera uo-
 cabulorum, quia in ipsis rebus non inuenis sexum; Non enim sapientia
 uere femina est, cum xp̄s sit di sapientia, & xp̄s appellatur genere mas-
 culino, sapientia feminino; Cum ergo dicerent iudaei, tu quis es, ille qui

sciebat esse ibi quosdam credituros, & ideo dixisse tu quis es, ut scirent
 quid illum credere deberent, respondit, principium non tamquam dice-
 re, principium sum, sed tamquam dicere, principium me, credite, quod in
 sermone greco ut dixi euidenter apparere ubi feminini generis est princi-
 pium, uelut si uellat dicere se esse ueritatem, & dicentibus tu quis es, respon-
 deret ueritatem, cum uideatur ad id quod dictum est, tu quis es, responde-
 re debuisse ueritas, id est ueritas sum, sed aliter respondit, cum uideret
 eos ita dixisse, tu quis es, ac si dicerent, quoniam abste audiuimus, nisi credideri-
 tis quia ego sum, quid te esse credimus, ad hoc respondit principium, ta-
 quam dicere, principium me credite, & addidit, qui, & loquor uobis, id est
 quia humilis propter uos factus ad ista uerba descendit, nam si principium
 sicut est ita maneret apud patrem, ut non acciperet formam serui, & homo
 loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, cum infirma corda intelli-
 gibile uerbum sine uoce sensibili audire non possent, ergo inquit credite
 me esse principium, quia ut credatis non solum sum, sed & loquor uobis, sed
 de hac re iam multum est loqui uobis, placeat itaque caritati uestre, ut quod res-
 tat illo adiuuante seruemus crastino reddituri. **EXPLICIT SERMO XXXVIII
 INCIPIT XXXVIII AB EO QUOD DICTUM EST. MULTA
 HABEO DE UOBIS LOQUI ET IUDICARE, SED QUI MISIT ME
 UERAX EST, USQUE AD IOUBI LIT, ET NON COGNouerunt
 QUI PATREM EIS DICEBAT Dominus.**

Verba dominus nostri ihesu xpi quae habuit cum iudaeis, ita moderans lo-
 que lam suam ut & caeci non uiderent, & fideles oculos aperirent,
 quae hodie de scriptura euangelio recitata sunt, ista sunt, Dicebant ergo
 iudaei, tu quis es, quia dixerat supra dominus, nisi credideritis quia ego sum, mo-
 riemini in peccatis uestris, ad hoc ergo illi, tu quis es, ueluti quaerentes nosse
 in quem deberent credere, ne in suo peccato morerentur, respondit dicen-
 tibus tu quis es, & ait, principium qui & loquor uobis, si se dixit dominus esse prin-
 cipium, quaeri potest utrum & pater principium sit, si enim filius principi-
 um est qui habet patrem, quanto facilius intellegendus est dominus pater esse
 principium, qui habet quidem filium cui pater sit, sed non habet de quo sit,
 filius enim patris est filius, & pater utique filii pater est, sed dominus de deo filius dici-
 tur, lumen de lumine filius dicitur, pater dicitur lumen sed non de lumine,
 pater dicitur dominus, sed non de deo, si ergo dominus de deo, lumen de lumine princi-
 um est, quanto facilius intellegitur principium, lumen de quo lumen, &
 dominus de quo dominus, uidetur itaque absurdum carissimi ut filium dicamus princi-
 pium, & patrem principium non dicamus, sed quid agemus, numquid